

51
SPECIMEN PHILOSOPHICUM

De

*Differentia notionum instrumentalium &
realium.*

CUJUS PARTICULAM IV.

CONS. AMPL. FAC. PHIL. REG. AC. AB.

PUBLICO PROPONIT EXAMINI

M. GABR. ISRAEL HARTMAN,

*Philosophiæ Theoreticæ Docens, Amanuens. Biblioth. nec non
Reg. Societ. Oecon. Finl. Membrum & Secretarius.
Secundus.*

RESPONDENTE

ADOLPHO SIMONE APPELGREN

Stip. Reg. Ostrob.

In Auditorio Majori Die XVIII Dec. MDCCCIV.

horis a. m. felitis.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

quid, definitionibus superstructum, pro vero certe haberi, antequam ostensum est, rem definitioni respondere; quod extra totam artem logicam percipi debet.

2:0 *Propositiones & judicia*, ut in Logica sumuntur, plane non attinent ad cognitionem, sed tantum ad notiones instrumentales & verba; i. e. ad cognitionis expositionem. Prædicati de Subiecto affirmatio & negatio, si non sit analytica, vera est, non ex propositione ipsa, sed ex cognitione extra propositionem: ut ex supra dictis luculenter liquet.

3:0 *Axiomata & Postulata* etiam spectant demonstrationem, qua alios convincere possumus de veritate eorum, quæ statuimus esse vera, sed non ipsam veri cognitionem. Quando ideam rei certæ teneo, in eo casu eodem omnino modo video totam rem omnibus suis partibus esse æqualem, utique quomodo id de ente prædicamus; illud quoque certum est per se, non axiomatis causa: & sic res se habet in omni casu. Axiomati igitur nullum omnino aliud est pretium, quam ut exprimat aliquid, de quo antea convenire possumus, quam ad certi argumenti expositionem nos accingamus, ut scilicet non in casu certo id negari possit, quod in universon antea concessum fuerit.

4:0 Idem etiam valet de *Syllogismis* & de omni demonstratione, quod ex eo etiam clare elucet, quod nihil inest in legitima conclusione, quod non jam datum est in præmissis, & de his antea est conveniendum, quam conclusio legitime elici potest.

5:0 Tota igitur *hac arte* nihil novæ cognitionis nec veri invenire possumus, sed tantum ea, quæ inventa habemus, cum aliis communicare: demonstrando nempe nihil novi invenitur, sed tantum exponitur & defenditur. Quid inde? nonne ultimum principium communicationis sive expressionis

cogitationum & cognitorum investigarunt Philosophi, quando de ultimo principio veri & cognitionis locuti sunt? Utique, En nubem pro Ju. one!

6:0 *Scientia* etiam, qualis ex mente plurimorum philo-
lophantium est, communicationem, qua alios participes nostræ
cognitionis reddere volumus, spectat, non res cognitæ: quod
ipsa definitio *Scientiæ*, qua sumitur pro habitu demonstrandi
ea quæ affirmantur & negantur, docet. Ille *scit*, inquit,
qui causas eorum, quæ dicit, exponere, h. e. dicta sua de-
monstrare, valet. aa).

aa) Verum quidem est, veritatem vere posse demonstrari; sed aliud
est cognoscere veritatem: aliud est illam demonstrare. Demon-
strata sunt multa falsa. Demonstratio est veritatis expositio, ut
alii etiam illam cernant. Veritatis cognitio illi utique præcede-
re debet.

7:0 Logica igitur ita sumta non spectat rationem, quate-
nus in investigando vero & reddendo sibi incognita cognita,
i. e. in cognitione vera augenda, versatur; sed tantum do-
cet expositionem, rationi consentaneam, eorum, quæ cognita
sunt, & de quorum veritate alios certiores facere volumus.
Est itaque Logica soror Grammaticæ; & illa ita pertinet ad
notiones instrumentales, ut hæc ad verba, verborumque constru-
endorum regulas; — certe, quod do libenter, utraque est ma-
ximæ necessitatis, ut existat communicatio inter homines; sed
frustra studemus Logices ope, ut etiam Grammatices, incog-
nitum cognoscere, nec verum invenire, nisi quatenus jam la-
teat in scriptis philoſophantium, & inde depromi possit. Lo-
gices ope, & hoc est usus ejus practicus, possumus ea, quæ
jam cognoscimus etiam aliis cognita reddere, & ex aliorum
scriptis & verbis nobis ea vindicare, quæ dicere voluerint;
aut, ex inconſequentia notionum in illis obveniente, de iisdem
dicere; aut verum non cognitum habent, aut artem, bene
exprimendi cogitata & cognita verbis, satis non callent.

Unde

Unde igitur cognitio & veritas? — ex rebus ipsis. Quo-
modo vero ex illis? experiendo. — Fruſtra demonstras, fru-
ſtra quæris verum, nisi quatenus res ipsas cernere, & ad illas
formare potes, cognitionem tuam. Cogitando potes quidem
relationes rerum posibles, interdum etiam veras, detegere,
sed id eatenus tantum, quatenus jam in ideis datæ sunt, ut
tibi tantum restet illas animadvertere. Fruſtra quæris ulti-
mum veri principium, usque dum tuo jure dicere possis: ita
expertus sum: experiendo novi hoc oriri ex facultate co-
gnoscendi, illud sensuum ope, & s. p. Fruſtra e notionibus
universalibus aliquid reale haurire volumus; sunt enim omnes
instrumentales: vere reales solum ex ipsis rebus trahuntur:
interviunt scilicet illæ cogitationi & communicationi, non cog-
nitioni, nec veritati. Fruſtra dicis: hoc est necessarium. Est
quidem; sed tantum quatenus res sub illis notionibus sublu-
mi possunt. Fruſtra etiam dicis: hoc valet de omni cogno-
ſcibili: nam quod de omnibus ita prædicari potest, in notione
cognoscibilis jam latet, & simul cum illa ex experientia de-
ducitur; sed quæ, qualisque experientia?

§. 6.

In Philosophia igitur, ubi de natura cognitionis, de pri-
mo principio veri & certi, de scientia rerum, veraque earum
indole cognoscenda &c. disputatur, pernecessarium est, notio-
num pretium tantum instrumentale observare, sibi que familia-
re reddere, quia aliter errores perniciosissimi evitari non
possunt. Si fundamentum omnis cognitionis, omnis veri &
certi quærimus, comparando & tractando notiones universales
sive instrumentales, hypothesin quandam quidem extruere pos-
sumus, veram autem mentis naturam, verumque veræ cog-
nitionis principium inde depromere non possumus. Nam in
illis nihil realitatis. Notionibus quidem possumus uti circa
res, si jam nobis notum sit, illas esse, illas ita vel aliter es-
se formatas, &c. sed ad cognitionem eorum, quæ in ideis

F 3

rea-

realibus non jam continentur, & ex illis, conferendo, & considerando, elici possunt, usu ejusmodi notionum nunquam eveni possumus. Hoc loco vero exponere possum, nec rationem, qua ideas reales accipimus, nec modos, quibus oriuntur omnes notiones universales; nec est hic necessarium. Sed observandum omnino est, pretium cognitionis (si veritatem objectivam sive realem, non mere logicam s. convenientiam notionum inter se, hoc vocabulo insignitam esse intelligis) haudquaquam posse notionibus talibus tractandis magis elici, quam compositione verborum grammatica. Omnis ergo demonstratio per notiones universales, omnis ex illis conclusio, quamquam sit maxima arte & industria facta, nihil ad principium philosophiæ inveniendum adjuvare potest. Dato quidem principio vero, datis notionibus veris, veras quoque consequentias arte logica inde trahere valemus; sed veritatem principiorum, realemque cognitionem: extra seriem notionum instrumentalium necessario quærendam esse, quisque satis videat. Qui enim in regione notionum universalium incipit, notiones tantum meras habebit, & inveniet, nihilque realis nec absolute veri ex illis eruere poterit.

§ 7.

Qui indolem notionum instrumentalium ita vere intelligit, qui videt illas pretio reali per se omnino destitutas, non nisi formalem & hypotheticam rerum relationem tradere vel ostendere posse, — totamque rerum cognitionem, quæ sint res, quales sint, quatenus hoc vel illud, ita aut aliter sint, nullo modo ab illis pendere *bb)*; sed tantum relationes rerum methodo quasi compendiarie investigari; non, quod ex cognitione rerum diversarum hauriri non possint, sed tantum, quod jam hac ratione semel facere possumus ea, quæ

quæ alias toties esset denuo facienda, quoties res ejusmodi occurreret: — qui, inquam, hanc notionum indolem recte intelligit, non desistet mirari, Philosophos adeo hanc materiam neglexisse, ut plerique eorum fere nihil de illa cogitarent; & cum omnis scientia rerum, omnis veritas, omnis cognitio, quæ non vacuis & inanibus constet ideis, non ex notionibus instrumentalibus, sed ex rebus ipsis, ex natura entis cognoscentis, ex indole nexus inter mentem & res quas percipiamus & sciamus, deducenda sit; certe quærendum est, cur philosophi tanta opera, totque moliminibus, veritatem & cognitionem veri in ideis meris quæserint; cur tanti fecerint notionum instrumentalium tractationem, ut facultates mentis, ad illam pertinentes, longe majoris haberent, quam illas, quibus res ipsas cognoscamus, quatenus eas cognoscere possumus: idque adeo; ut facultatem nostram cognoscendi, ejus rei causa, in superiorem & inferiorem dividerent *cc)*. Quod, me iudice, est facere idem, quod ille faceret, qui majoris pretii haberet tabulas male pictas, quam homines veros & mundum ipsum, eam solum ob causam, quod illas videret intra cubiculum in pariete pendentes, hos vero non nisi quatenus aut per ostium introirent aut per fenestram videri possent — vel quod tabulæ ejus tam male essent pictæ, ut æque bene hunc ac illum hominem, hunc arborem ac illum repræfarent: — & quid risu dignius! Sed videmus hic, quasi in speculo, causam, cur omnis fere Philosophia ad Idealismum aut Scepticismum (ut dicunt) tetenderit; nam, ut jam observatum est, qui meris notionibus philosophatur, nunquam philosophiam rerum existentium invenire potest.

bb) Dicat fortasse aliquis: pendunt quidem; non potest res sensibus percipi, nisi in spatio; recte! sed ita ut res visibilis non potest videri nisi luce collustrata: inest id, quod poscitur, jam in notione rei & visibilis.

cc) Exempla exstant apud fere omnes, qui de anima humana ejusque facultatibus scripserunt.

Ut vero hæc non videantur minus vere dicta, historia philosophematum consulenda est, videndumque, quid ex omissione hujus observationis sequutum sit apud veritatis studiosos.

Xenophanes, ceterique Eleatici, quippe qui utrum verum notionum instrumentalium non cognoverunt, sed istas pro realibus sumserunt, cognitionem, quam experiendo colligimus, quam sensuum ope & conscientia interna ex rebus ipsis, quatenus a nobis non pendent, haurimus, contemserunt, & mundum alium, ex inanibus notionibus extructum, imaginati sunt. — Plato indolem notionum instrumentalium veram, adeo non observavit, ut illas esse ex origine quadam divina, ideoque præ realibus, quas parvi admodum fecerit, ponendas putaret; unde omnes Academiæ opiniones & cogitata de certo & incerto, de vero & falso &c. — Aristoteles, qui, ut jam dixi, docet nos ex notionibus universalioribus, usque ad notiones singulares veritates logicas deducere; qui docet nos demonstrare; qui nobis tradit summa genera in categoriis suis; ille tamen omittit accurate quærere fundamentum & pretium notionum universalium, atque principium veritatis realis. *dd*) Aristotelis vestigiis insisterunt Scholastici; sed fere id quæsiiverunt in verbis, quod ille tamen in notionibus instrumentalibus. Fr. Baco de Verulamio ad res ipsas quidem considerandas invitaverat homines; nihilo tamen minus Cartesius nihil certi, nisi ex notione Dei, comparari posse docebat; quasi esset hæc notio idem ac ipsa natura entis perfectissimi; ut etiam ex notione spiritus & corporis, non ex re, sed ex definitione sumta, omnem suam, de cognitionis nostræ & rerum externarum indole doctrinam haulit. Locke, qui optime hujus methodi difficultatem agnovit, aliamque utique viam in veritate investiganda esse sequendam intellexit, experientia duce philosophiam suam elaboravit; sed nimis pre-mendo vestigia ejus (ducis sui experientiæ), cognitionem demon-

strativam fere omisit, & scientiam cognitionis humanæ universalem, non solum non ipse dedit, sed etiam impossibilem effecit; quia summas notiones, illasque universalissimas & necessarias, ita ab experientia deducendas esse statuit, ut abstrahendo ab omnibus diversis perceptionibus, non fere aliter ac in Arithmetica summa ab addendis, existerent. Loquitur de æternitate, de immetitate spatii e. s. p. quali revera essent; loquitur de conditionibus existentiae, e. s. p. & tamen putat nos experiendo ita concipere illarum notionum & idearum necessitatem, ac si sensibus caperemus immetitatem, & conditiones, sub quibus res esse possint. Itaque debita disquisitione de origine harum idearum & notionum neglecta, omnem cognitionem rerum, quæ extra experientiæ directæ orbem sitæ sunt, ruere fecit. — Leibnitius vero, & cum eo Wolf, viam a Cartesio stratam incesit, & ex notionibus universalibus philosophiam rerum & cognitionis elicere voluit. Definitiones Entis Compositi & Simplicis illi fuerunt fundamenti loco; hisque superstruxit omnem suam theoriam de indole cognitionis, de Ente summe perfecto, de mundo & rebus externis: ex his quoque deduxit suam Monadologiam, Harmoniam præstabilitam &c. — Et Cel. Immanuel Kant, quamquam postea tot, tantisque argumentis demonstravit, nos ex notionibus nostris, nihil utique de rebus extra experientiam nostram sitis, scire posse, nec ad naturam rerum suprasensualium quodam jure concludere: quamquam, inquam hoc maximopere in mentem lectoris inculcare studet; tamen, ut mihi quidem videtur, in struendo fundamento systematis sui, ipse ex notionibus meris, ad normas logicas connexis, totum systema fundavit, & ita, contra regulas veritatis inquirendæ, pro principio omnis cognitionis dijudicandæ ponit: *ea omnia esse nobis a priori in ipsa nostra cognitionis facultate data, quæ in cognitione nostrâ absolute universalis & necessaria sunt*; itaque ideæ Spatii & Temporis, atque notiones, quas sub nomine categoriarum recensuit. Quod minime fecisset, si

ad veram notionum nostrarum naturam ita attendisset, ut vidisset, ex illis nihil magis ad indolem facultatis cognoscendi, quam ad rerum externarum naturam, concludi posse, *ee*) antequam pretium earum, ex primo cognitionis & veritatis principio, ut cognitio, haustum, cognoscere queat Philosophus.

dd) TENNEMANN. (Gesch. d. Philos. Th. III. pag. 98) *Aristoteles*, inquit, *beging also den Fehler, dass er der Demonstration einen Werth beilegte, den sie nicht hat, noch haben kann. Anstatt sie für nichts weiter, als für die logische Beweisart zu halten, wobei man von aller Beziehung auf Objecte abstrahirt, und nur auf die Form des Denkens achtet, betrachte er sie als das Mittel, zum objectiven Wissen zu gelangen, &c.* (conf. CHR. AUG. HEUMANNI Consp. Reipubl. Litter. l. c.) Aristoteles docet quidem constanter, nihil esse in substantia secunda, i. e. in genere & specie, quod non ante fuit in substantia prima, sive individuo; sed de methodo, qua ad veram cognitionem substantiarum primarum pervenire possumus, nihil fere dicit; nec criterium quaerit, quo adhibendo veritas realis percipi potest.

ee) FR. BOUTERWEK dicit quidem (Anfangsgr. der Specul. Philos. pag. 182. §. 368): *Will man aber diese Form (die Form des äussern Sinnes) als besondere Natur des erkennenden Subjektivs ansehen, als ob sich nach dieser besondern Natur des Subjektivs die besondern Naturen der Objecte, als etwas für sich Bestehendes, richten und bequemen müssten, um vorstellbar zu werden, so setzt man da Behauptungen voraus, die noch einer ganz andern Prüfung bedürfen. Denn woher wissen wir in mehr als sinnlicher Bedeutung etwas von einer besondern Natur des erkennenden Subjektivs und von besondern Naturen der erkannten Objecte?* ibidem pag. 186. §. 366): *Aber auch mit dieser Theorie der Zeit gewinnen wir nicht die geringste Kenntniss von einer besondern Natur des erkennenden Subjektivs, der die Zeit gleichsam objectiv inhärrte. Wir wissen nichts weiter von dem Grunde dieser Vorstellung, als dass er eine der Bedingungen unsers menschlichen Daseyns ist, denen wir uns unterwerfen müssen.* Ita dicens, videtur quidem perspicere ea, quae attuli; verum non est quaestio, in quo inhæreant spatium & tempus, ut in objecto, sed unde representationes spatii & temporis hauriantur: scilicet, utrum simul cum representationibus rerum externarum extrinsecus in mentem irumpant, aut

aut intra mentem oriuntur; utrum tantum pertineant ad facultatem cognoscendi, aut ad objecta cognitionis. Si vero quis dicat: est notio spatii forma sensus externi, quia omnia, quae per sensum externum excipiuntur, in spatio esse debent; is sane nihil aliud dicit, quam, incognitum esse, quid sit spatium, aut quare universale & necessarium sit, h. e. nihil omnino aliud ille dicit, quam spatium esse universale & necessarium; quod sane nihil explicat.

Errata corrigenda:

Pag. 2, lin. 1 est pernesariam leg. pernecesariam. Lin. 28, *common* — leg. *common*. Pag. 5, lin. 26, *eideiv* leg. *επιτασσει*. Pag. 7, lin. 20. DES leg. DER. Pag. 9, lin. 6. *eognoscamus* leg. *cognofcamus*. Lin. 13. igitur *actus*, leg. igitur *est* *actus*. Pag. 10. lin. 9 *habet in paucis exempl. tout pro tout*; lin. 12 *ANFANGSGR.* pro *ANFANGSGR.* & lin. 25; *PHILOSOPHISCHE* pro *PHILOSOPHISCHE*. Pag. 11, lin. 14, *ähnlich*, leg. *ähnlich*, lin. 30 *deleatur punctum post Erkenntnis*. Pag. 14 lin. 11, *est infinitum pro infinitum*. Pag. 15 lin. 9 *habet in paucis. exempl. rursus pro rursus*. Pag. 16 lin. 29 *est quasi res, essent pro quali res essent*, Pag. 19, lin. 4, *deest signum parenthes. post C.* Lin. 7 *est equus sed debet esse equus*. Lin. 31, *obvenit II, leg. II*. Pag. 22 lin. 31, *pro proferre lege proferre*, Pag. 24 *ipse numerus paginae falso est 32*. Pag. 31, lin. 22 & 23, *est internam lege internum*. Pag. 39 lin. *ultima, lege dum ex pro dum ex*. Pag. 42, *lin. 10 occurrit b) (d lege z)*.